



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

De ratione administrationis fructuum Archiepiscopi obedientiae
subiectorum. Cap. VI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11399

ministracionis capaces censeantur: cum præsertim eorum loco ipsa succedat congregatio, cui sanè omnia per eos acquiritur bona iuraque annexa statim intelligantur: quæ cum priuilegio Sanctissimi D. N. Gregorij XII. omnium legatorum, donationum, dispositionumque omnium quocumque nomine, & à quibusuis pijs hominibus proficiscientium capax facta sit; eorum quoque Oblatorum loco ac nomine, qui paupertatis voto adstricti sunt, succedendi vim habere, subrogataque censeferi decernitur, quibuscunque bonis quacunque ratione iureque ad illos spectantibus.

Altera conditio est, quod uouentes possint absque voti solutione, vel prauaricatione, immo debeant omnino Archiepiscopo iubente quodcumque beneficium recipere, quod animarum curam tituli nomine exercendam coninnctam habeat: cum præsertim ea conditione, & eo animo nuncupandum esse eiusmodi votum, talemque nuncupatum naturam seruare debere sanciat, ut sponte suscipiendi quidem beneficium, ut diximus, facultatem uouenti adimat, eum tamen non impediatur, quin ab Archiepiscopo iustus, recipere possit, ac debeat.

Ceterum, cum in hosce homines huiusmodi conferentur beneficia; tum voti paupertatis quo illi obstringebantur, in votum subiectionis illico commutatum censeatur, atque homines ipsos eorum ordini adscriptos iam esse, qui fructuum & bonorum subiectionem ex congregationis instituto præstare debent.

Quamquam istis quidem qui huiusmodi paupertatis voto tenentur, non sint danda ecclesiastica beneficia sine magna ab Archiepiscopo adhibenda cautione.

Cum enim hi quasi fundamenta quedam & bases congregationis sint; istos ipsos & in ædibus sancti Sepulcri, & in alijs eiusdem generis perpetuo commorari, & ad unumquodque officij genus quocumque tempore, cum in Ciuitate tum in Diocesi promptè exequendum, liberos esse, & expeditos maxime decet.

De ratione administracionis fructuum Archiepiscopi obedientie subiectorum. Cap. VI.

NEquè verò fructus Reuerendissimi Archiepiscopi obedientie subiecti in alium usum impendi conuertive debent, quam aut in subleuanda inopia & indigentia ipsorum Oblatorum, eorumque consanguineorum vel affinium: aut in ijs rebus iuandis ac præstandis, quæ ad quoslibet congregationis usus pertinent, aliæ pia opera.

De ratione votorum supra expositorum. Cap. VII.

AT verò duplex votum supra expositum, siue sit obedientie tantum, siue subiectionis bonorum, paupertatisue; non solenne, sed simplex & dicatur, & habeatur, etiam si coram pluribus testibus, publicisque & solennibus adhibitis caeremonijs celebretur.

De facultate, & ratione excludendi Oblatos à congregatione. Cap. VIII.

Quemadmodum verò multiplicibus ministerijs, variisque operibus Oblatos, quamplurima pietatis & charitatis semina spargentes, uberrimosque fructus inde colligentes, & vniuersæ Mediolanensi Ecclesiæ plurimo adiumento, & congregationi ipsi incredibili ornamento perpetuo fore, & præterea vniuersæ quoque congregationi charissimos futuros esse haud dubium est: ita sanè si quis eorum (quod Deus auertat) sui muneris & dignitatis oblitus, propriamque & aliorum salutem negligens, atque constitutionibus suæ congregationis non parens, scordie & vitij se tradiderit, unde alijs quidem scandalo, congregationi verò dedecori sit; hunc à congregatione excludendum esse insciendum non est. qua ratione enim tuendi corporis causa, corrupta, morboque marcescentia membra præcidere secarique aliquando oportet; eadem nempe conseruanda congregationis gratia, si qui ex

Oblato